

tione; baptismum probari unico teste; et quamvis filii Hebræorum non possint invitibus baptizari, si tamen de facto baptizentur, valere baptismum et characterem imprimi, et filiam baptizatam penes christianos alendam; mulierem baptizantem acriter monendam ut in posterum caveat a similibus; notificandum vero populo non licere, invitibus parentibus, filios Hebræorum baptizare quia licet finis sit bonus, media non sunt licita, præsertim etante bulla Julii III imponente pœnam mille ducatorum et suspensionem baptizantibus filios Hebræorum invitibus parentibus.» (Benedictus XIV, const. *Postremo mense*, 28 febr. 1748, n. 27.)

Cf. Litteram encyclicam a RR. DD. archiepiscopo Turonensi de quodam puero judæo Mortara nomine, anno 1859, ad clerum Turonensem directam.

ADNOTATIO XIV.

Lib. III. Decretal. Tit. XXXIV. De voto et voti redemptione, n. 28; pag. 79.

DE VOTIS PAPÆ RESERVATIS.

Præterquinque vota ab auctore nostro hic enuntiata, nulla alia sunt Papæ reservata, ut declaravit Benedictus XIV, in epist. encycl. ad pœnitentiaros et confessarios pro anno sancto in Urbe deputatos, 3 dec. 1749, n. 42, per hæc verba: « Alii sunt qui inter vota Summo Pontifici reservata votum adjungunt visitationis sanctæ domus Lauretanæ, verum hujusce rei nulla probatio occurrit. Alii denique in hac classe omnia perpetua vota reponunt, id quod errori locum præbere potest nisi aliquid addatur. Propositio enim intelligi debet de solo voto perpetuo quo quis episcopatum acceptans obligationem suscipit animarum sibi commissarum curam retinendi, juxta responsum Innocenti III in cap. *Nisi cum pridem*, *De renuntiat.*, ac probationum theologorum doctrinam, quemadmodum apud Sylvium in 2, 2. D. Thomæ, quæst. VIII, art. 12, concl. 2, videre est.»

ADNOTATIO XV.

Lib. III. Decretal. Tit. XXXIV, n. 53; pag. 83.

DE VOTIS EMISSIS ANTE PROFESSIONEM REGULAREM.

« Quamvis ex decretali *Scripturæ*, cap. 4, hoc tit. inferri posse videatur temporalia tantum vota ante professionem regularem emissa extinguere per ipsam professionem; hoc tamen privilegium extenditur unanimi consensu doctorum, ex paritate rationis, ad quæcumque vota etiam perpetua, inter quos S. Thomas, 2, 2, quæst. LXXXVIII, art. 12 ad 1, et in 4, dist. XXXVIII, quæst. 1, art. 4,

quæstione IV, ad 2. Neque opus est pro hujusmodi extinctione profitentis intentione, ut nonnulli perperam opinati sunt, cum per ipsum professionis actum obtineatur. Et ratio est quia omnia alia opera, Deo promissa, sunt particularia, eminenter contenta in professione religiosa, per quam profitens se et omnia sua divino dedicat obsequio, moriens priori vitæ, et nihil, ne propriam quidem vitam, sibi reservat. S. Thomas loco citato.

» Limitat tamen Cabassutius, *Jur. can. theor. et pract.*, lib. I, cap. xx, n. 4, cum Lessio, extingui quidem omnia alia vota, licet nihil de illis cogitet, nisi de his ita cogitet ut explicite horum obligationem perdurare intendat.

» Alia limitatio desumitur ex S. Anselmo, qui, lib. III, epist. 33 ad Richardum monachum, idem tenendum esse declarat, dummodo non fuerit jurata...

» Item ex communi sententia limitanda est regula, si vota realiter emissa sint ad favorem tertii ab eodem acceptata, cum transeant in contractum, naturalem obligationem inducentem, quæ tolli nequit, nisi ex remissione ejusdem acceptantis.

» Et hic obiter notandum est quod alumni congregationis de Propaganda fide præstant juramentum nullam religionem, societatem aut congregationem regularem ingrediendi, nec in earum aliqua profitendi sine speciali licentia Sedis apostolicæ, vel dictæ congregationis; si secus fecerint, non relaxantur ob obligatione prædicti juramenti, imo eorum professio est ipso jure nulla, ut ex constit. Alexandri VIII, *Cum circa*, 20 jul. 1600. » (Giraldus, *Exposit. jur. Pontif.* part. I, sect. 548.)

ADNOTATIO XVI.

Lib. III. Decretal. Tit. XXXIV, n. 53; pag. 83.

DE VOTIS IN GRATIAM TERTII EMISSIS.

Cf. Adnotationem præcedentem.

Insuper noto notius est quod Summi Pontifices, in litteris apostolicis indulgentiam plenariam et facultates extraordinarias pro confessariis et tempore jubilæi vel ad instar concedentibus, reservare soleant vota in favorem tertii emissa; ita in specie litteræ cardinalis præfecti S. C. episcop. et regular. die 25 jul. 1850 datæ: « ... Et insuper vota quæcumque private emissa, etiam jurata, et Sedi apostolicæ reservata, (castitatis, religionis, et obligationis quæ a tertio acceptata fuerit, seu in quibus agatur de præjudicio tertii semper exceptis, quatenus ea vota sint perfecta et absoluta, nec non pœnalibus quæ præservativa a peccatis nuncupantur) in alia pla et salutaria opera dispensando commutare; injuncta tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus absolutionis et commutationis casibus pœnitentiæ salutari, aliisque de jure injungendis. »

ADNOTATIO XVII.

Lib. III. Decretal. Tit. XXXV. De statu monachorum et canonicorum regularium, § I, n. 25; pag. 88.

ADVERSUS RELIGIOSOS PROPRIETARIOS.

Declarationes S. C. concilii:

« I. Queritur an, ex dispensatione inferiorum a Summo Pontifice, liceat regularibus possidere vel tenere agros, annuos redditus, aliaque bona, immobilia videlicet et mobilia superflua, non obstante decreto concilii sess. XXV, *de Regular.* cap. 2? »

» II. An propter talem dispensationem seu scientiam superiorum possidentes, vel tenentes mobilia vel mobilia superflua, a culpa vel a pœna excusentur? »

» III. An superioribus asserentibus hujusmodi licentias posse concedere fides adhibenda sit? »

» IV. An superiores arbitrio et præfinitioni stare debeant regulares quoad mobilia superfluitatem et convenientiam? »

» V. An, superiore quantum requisito, necessaria suis regularibus negante vel subtrahente, liceat ipsis clam, vel invito eo, illa sibi comparare seu retinere? »

» VI. Et quatenus liceat, an itidem liceat cum necessaria ideo negantur vel subtrahuntur quia monasterii facultates non suppetunt? »

» VII. An dicti superiores regulares dictum caput 2 declarare et interpretari possint? »

» Ad I. Congregatio concilii respondit non licere.

» Ad II. Non excusari neque a culpa, neque a pœna ipso facto incurrenda.

» Ad III. Minime adhibendum.

» Ad IV. Nisi de excessu arbitrii constiterit, utique stare debere, habita videlicet ratione personæ, officii et regulæ, statusque paupertatis quam professi sunt et cæterarum itidem qualitatum.

» Ad V. Non licere.

» Ad VI. Licere, si præcisa necessitas sit ad individui sustentationem; cæterum communem penuriam ab omnibus percipiendam usque adeo ut si quid privatim alicui delatum vel ab ipso partum fuerit, id omne ad superiorem recta deferri oporteat, qui ex eo primum succurrat necessitati cujus intuitu illud obvenerit, si peculiari aliqua necessitate ultra communem prematur, reliquum conventui incorporetur et in communem cedat utilitatem.

» Ad VII. Non posse. — Hier. card. MATTHÆJUS. (Quaranta, *Summa Bullarum*, vº *Casus reservati*, apud Giraldum, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 555.) »

« Hic serio monitos velim, inquit idem Giraldus, quoscumque paupertatis voto tam simplici quam solemniori, et hoc potissimum obstrictos, ne cum periculo damnationis æternæ se allucinentur putantes sibi licitam esse, citra sacrilegam dicti voti fractionem, pecuniam cujus usum habet quicumque ludo exponere, et præsertim vulgo *del Lotto*, ea

falsa innixi ratione quod id ludi genus, jam prohibitum a Benedicto XIII die 12 aug. 1727 etiam sub pœna excommunicationis Papæ reservatæ, permissum deinde fuerit a Clemente XII in ejus motu proprio 9 dec. 1731 incipiente *Tra le molte angustie* impresso in typographia camerali. In hoc enim expresse excluduntur quicumque paupertatis voto obstricti sint, ibi: « Perciò ci contentiamo che » nel nuovo Lotto da noi, come sopra, permesso » (Romæ tantum et tota ecclesiastica ditione duntaxat) possa qualunque persona dell' uno e l'altro sesso, non comprese però quelle che ne venissero impedita dal vincolo de' voti di povertà. » Quæ ultima verba repetita etiam leguntur in edictis de mandato ejusdem Pontificis publicatis ab Eminentiss. Urbis vicario, et a generali thesaurario sub die 12 dictionum mensis e anni, ead. typographia impressis...

» Neque tandem ad excusandas excusationes irpeccatis subsidium sibi ita tuto aucupari se posse credant a vivæ vocis oraculo quod prolatum fuisse dicitant a laudato Clemente, post publicationem relati motus proprii, licere scilicet paupertati vinculo obstrictis parvam aliquam pecuniæ summam prædicto ludo exponere, non obstante prohibitione in eodem motu proprio expressa, cum de eo nullo modo constet. Et quamvis ex attestatione aliquorum fide dignorum, ut dicitatur, constaret, præsumi nequit tantum Pontificem, et zelotypum ad sartam tectam fidelium pietatem servandam, voluisse dicto vinculo obstrictis aperire viam paupertatis, ipsis indulgendo, non ut raro, sed ut toties quoties quolibet anno exponere possent prædicto ludo parvam aliquam summam, quæ integraret, ut dixi, magnam summam totalem contra votum paupertatis. Unde de asserto vivæ vocis oraculo dicendum est merum fuisse commentum, ab aliquibus excogitatum ad propriæ indulgentium cupiditati, palliandumque proprietatis vitium.

» Si qui vero citra lethalem culpam se tuto id, non semel sed pluries in anno, facere posse credant, aut vi hujus præsumpti oraculi, vel alterius tituli puta ad subveniendum vel suæ, vel loci pii, vel alienæ paupertati, ipsi viderint, cum non meum sit de iis iudicium ferre. Audiant tamen quid de iisdem sentiat S. Antoninus, part. II, tit. I, cap. XXI, § 3: « Sed et religiosi, si quæ habent ad usum vel per administrationem, illa tamen donare vel alienare non possunt illicite, ut in ludis. » (*Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 558.)

ADNOTATIO XVIII.

Lib. III. Decretal. Tit. XXXV, § 2, n. 79, pag. 102.

DE EPISCOPO VEL SUPERIORI REGULARI INGREDIENTE CLAUSURAM MONIALIUM VISITATIONIS CAUSA; DE MONIALIBUS PROPTER INFIRMITATEM EXTRA CLAUSURAM DESENTIBUS.

Caput 5 sess. XXV, *de Regular.* decernens monasteria monialium, regularibus subjecta, visitari

posse ab episcopo, in casu tantum clausuræ restituendæ, extensum est ab Alexandro VII ad quamcunque aliam urgentem ac necessariam causam, ex const. *Felici*, 13 kal. nov. 1664, in qua facultas ingrediendi prælati regularibus tributa limitata est. Dicti prælati regulares prohibentur ingredi;

I. Nisi semel in anno, ex causa visitationis localis, faciendæ per se ipsos non per substitutos, cum assistentia quatuor monialium ex senioribus, unica die post ortum et ante occasum solis, nulla sumpta in monasterio refectio. Et tunc si visitator sit generalis, possit secum ducere duos socios sui ordinis, si alius a generali, unum tantum, nunquam in actu visitationis ab invicem separandos.

II. Si ob clausuræ custodiam, aut ob aliam urgentem ac necessariam causam, pluries in anno ingredi opus habeant, ingredi debeant una cum episcopo diocesano vel persona ecclesiastica seculari ab eodem specialiter deputata.

III. Visitationem personalem peragere debent ad crates, extra septa monasterii, itidem percipios et non per substitutos. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 562.)

Ex variis declarationibus S. C. concilii apud eundem Giraldum, loco citato, constat.

I. Licere episcopo visitare monasteria monialium regularibus subjectarum, et singulos moniales absque interventu regularium alloqui in concernentibus clausuram, 24 sept. 1622.

II. Episcopus potest, in dict. monasteriis, excommunicationis late sententiæ penam sibi reservatæ imponere circa aperitionem ostii clausuræ extra casus indigentie, necnon circa accessus et colloquia cum monialibus; dictaque excommunicatio ligat nedum regulares accedentes, verum etiam moniales, facta de illis mentione, adeo ut superior regularis ab huiusmodi excommunicatione absolvere nequeat; 26 jun. 1627.

III. Item ingredi, saltem duobus honestis et gravibus viris ecclesiasticis comitatus, 1638 in *Recinen*.

IV. Item visitare quoad clausuram dicta monasteria, etiam assumpto secum vicario generali et confessorio monialium, monialesque ipsas, in iis quæ ad eandem clausuram pertinent, examini subijcere, remotis etiam suspitione violatæ clausuræ ac quacunque superiorum regularium negligentia, ipsisque inconsultis et irrequisitis. 26 maii 1640.

V. Episcopus, seu de eju mandato vicarius generalis, non potest visitare Sanctissimum Sacramentum, olea sacra, confessionalia et sepulturas in ecclesiis monialium regularibus subjectarum, nisi adsit legitima consuetudo in contrarium; nec ingredi earum clausuram cum pluviali et stola. Non tenentur dictæ moniales obviam ire cum cruce et cantico *Benedictus* vicario episcopi ingredienti et volenti visitare clausuram; non tenentur vero dictus vicarius, in visitatione et ingressu

clausuræ, secum ducere priorem et confessorium dictarum monialium; 29 jun. 1684.

VI. Episcopus non tenetur, ante accessum, monialibus regularibus subjectis præfinire diem et horam visitationis; potest moniales omnes in choro interiori, vel alio loco, convocare et ad eas sermonem habere, non autem visitare cellas quoad non pertinentia ad clausuram; 19 januar. 1686.

VII. Moniales prædictæ non tenentur tradere episcopo visitanti librum regularem, sed tenentur subire ad solitas crates onus personalis visitationis quoad clausuram spectantis. Episcopus potest visitare nedum crates et mœnia exteriora, sed etiam chorum interiorem, dormitoria, cellas, aliisque loca, pro clausuræ custodia; 31 jul. 1723.

Mense septembri 1815, de mandato Pii PP. VII exiit decretum *De clausura monialium restituenda*, in quo revocatæ fuerunt omnes concessiones commorandi extra claustra propter causam infirmitatis; his verbis ad episcopos scribebat cardinalis præfectus: « Siccome però non s'intende colla » presente circolare di annullare sul momento le » permissioni date dalla Santa Sede anche in questi » ultimi tempi, o per l'Italia e isole adiacenti, o » per li paesi oltre montu ed oltre mare; cosi le » si partecipa che a tutto il corrente anno 1815 » devono avere il suo termine le prime, et a tutte » il prossimo mese di marzo 1816 le seconde, qua- » lunque sia l'espressione anche illimitata e ad » vitam, avvertendo per altro che, in questa ipo- » tesi, concorrendovi i requisiti accennati di sopra » et l'informazione di V. S. appoggiata agli attes- » tati giurati di due medici, i quali assecurino che » la cura non è eseguibile dentro il monastero, » non avrà difficoltà la Santa Sede di rinnovare e » confermare le dette grazie. » (*Collect. in usum secretariæ S. C. episcop. et regular.* pag. 49.)

ADNOTATIO XIX.

Lib. III Decretal. Tit. XXXVI. De religiosis domibus, ut episcopo sint subjectæ, n. 12; pag. 105.

DE TERTIARIIS.

Decreto S. C. de Propaganda fide, 9 maii 1757, cavetur ne missionarii latini cujusvis ordinis aut instituti mulieres cujuscumque ritus orientalis ad habitum tertii ordinis, vel alium quemcumque ejusmodi, admittant. Cum igitur ad unius latini ritus mulieres regularium circumscripta facultas intelligatur, pronum est habitum tertii ordinis professas duas in partes referre; alteram earum quæ simul collegialiter vivunt, alteram vero earum quæ seorsum suis in domibus degunt...

Quoad primas explorata res est privilegii tertii ordinis minime frui, etiam illas quæ votum simplex castitatis emisserint, nisi vota solemnia nuncuparint et clausuram sancte religioseque custodiant...

Gradum nunc faciendo ad alteram tertiariarum classem, quæ seorsim suis in domibus degunt, majoribus privilegiis olim gavisas eas fuisse compertum est; sed illa privilegia revocata fuerunt.

Possunt tamen earum cadavera sepeliri in ecclesiis sui ordinis, si locus tertiaris designatus seorsim existat; sin nullus in ecclesia parochiali.

Lucrantur etiam indulgentias, gaudentque aliis spiritualibus gratiis ordini adnexis, ac ad votum simplex castitatis a superioribus regularibus admittuntur, quibus hanc facultatem ex apostolicæ Sedis indulto reservari compertum est. Non tamen ad omne mulierum genus hoc iacultas extenditur, sed ad eas duntaxat quæ conditiones a S. C. rite præscriptas habuerint, nimirum ut nonestis prohibisque moribus fugeant, ut necessaria ad congruam vitæ sustentationem bona possideant, ut non nisi cum aliis viris quam consanguineis vel affinibus in primo gradu cohabitent, et in ætate saltem quadraginta annorum constituantur. Huiusmodi autem conditionum examen et iudicium non ad superiores ipsos regulares, sed ad locorum ordinarios pertinet qui, insuper visis facultatibus regularium, dare debent licentiam vestiendi. Hæc est autem formula qua utuntur episcopi:

« Dilectæ nobis in Christo N. salutem et benedictionem in Domino. Ut tu, quæ bonis moribus imbuta, bonæque frugis ac laudabilis vitæ existis, in ætate annorum quadraginta constituta, propria bona, ex quorum fructibus honeste vivere vales, possides, et non cum aliis viris quam cum tuis consanguineis vel affinibus in primo gradu constitutis habitas, prout hæc omnia nobis, prævia informatione, constare fecisti, habitum tertii ordinis S. N. quam postulasti suscipere possis per R. P. N. ordinis provinciale, illum tibi conferendi licentiam et facultatem concedimus et impertimur. In quorum... Datum... N. episcopus N. »

Inde sequitur quam recte S. C. de Propag. fide, die 13 aug. 1761, per modum decreti generalis servandi in toto regno Hiberniæ, inter alia rescripserit pro Tertiariis, nullo modo licere regularibus admittere ad habitum nisi servatis servandis et de licentia ordinarii, aliter admissas declaretur ab episcopis nec esse Tertiarias, nec ullis gaudere privilegis aut indulgentiis.

Hæc omnia quæ supra desumuntur ex *Instructioe edita jussu S. C. de Propaganda fide de mulieribus tertii ordinis et earum privilegiis*, approbata, die 16 jan. 1763, a Clemente XIII; apud Giraldum *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 566. Cf. etiam Benedictum XIV, *Institutione* 105.

ADNOTATIO XX.

Lib. III, Decretal. Tit. XXXVI, n. 12; pag. 105.

DE SACERDOTIBUS PRO CURA INFIRMORUM IN NOSCOMIIS DEPUTATIS.

« In clementina *Quia contingit*, cap. 2, hoc tit. § *Cæterum*, declarat Pontifex ut in noscomiis sacra

mysteria celebrari, et ecclesiastica sacramenta administrari possint infirmis ibi ægentibus, hosque ibidem sepultura donari a sacerdotibus pro eorum cura deputatis, dummodo contraria non vigeat consuetudo ut similia munia præstatura sint a parochio, intra cujus parochiæ limites eadem noscomia sita sunt... Unum hic addimus quod dicti sacerdotes, licet deputari et removeri possint ab hospitalis administratoribus absque licentia episcopi, ab hoc tamen approbari debent quoad penitentiae sacramenti administrationem, ut pluries declaravit S. C. concilii. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 567.)

ADNOTATIO XXI.

Lib. III, Decretal. Tit. XXXVII, De capellis monachorum, n. 23; pag. 110.

DE JURIBUS PAROCHORUM.

Decreta Congr. Sacr. Rituum circa jura parochialia, functiones, præminentias inter parochos et confraternitates laicorum, earumque capellanos et officiales.

URBIS ET ORBIS. Ad debitum imponendum finem controversiis, etc.

I. An confraternitates laicorum, legitime erectæ in ecclesiis parochialibus, habeant dependentiam a parochio in explendis functionibus ecclesiasticis non parochialibus? — Affirmative.

II. An dictæ confraternitates, erectæ in capellis vel oratoriis tum publicis, tum privatis, annexis parochialibus ecclesiis et ab eis dependentibus, habeant dictam dependentiam a parochio quoad dictas functiones? — Affirmative.

III. An confraternitates erectæ in aliis ecclesiis publicis habeant, quoad easdem functiones, aliquam dependentiam a parochio, intra cujus parochiæ limites sitæ sunt ecclesiæ? — Negative.

IV. An confraternitates erectæ in oratoriis tum publicis, tum privatis, sejunctis ab ecclesiis parochialibus, quoad dictas functiones ecclesiasticas, habeant dictam dependentiam a parochio? — Negative.

V. An benedictiones et distributiones candellarum, cinerum et palmarum sint de juribus mere parochialibus? — Negative.

VI. An benedictiones mulierum post partum, fontis baptismalis, ignis, seminis, ovorum et similia sint de juribus mere parochialibus? — Negative, sed benedictiones mulierum et fontis baptismalis fieri debere a parochis.

VII. An functiones omnes hebdomadæ sanctæ sint de juribus mere parochialibus? — Negative, prout jacet.

VIII. An celebratio missæ solemnis feria quinta in cæna Domini sit de dictis juribus parochialibus? — Negative, prout jacet; sed spectare ad parochos.

IX. An prima pulsatio campanarum in sabbato sancto sit de dictis juribus parochialibus? — Negative prout jacet, sed spectare ad ecclesiam digniorem ad formam const. XXII Leonis X. § 14.

X. An celebratio missarum solemnium per annum sive pro viris, sive pro defunctis sit de juribus parochialibus? — Negative, prout jacet, sed licere confraternitatibus duntaxat in festivitibus solemnioribus ejusdem ecclesie vel oratorii, ut in *Brundisina*, 1 jun. 1601.

XI. An expositio quadraginta horarum et benedictio quæ fit super populo sit de dictis juribus parochialibus? — Negative.

XII. An expositio quæ fit cum reliquiis vel sacris imaginibus, et benedictio quæ fit cum eis super populo, sit de dictis juribus parochialibus? — Negative, et quoad benedictiones cum reliquiis et imaginibus servantur decreta.

XIII. An functiones in præcedentibus octo quibus, a dubio V ad XII expressæ, peragi possint in oratoriis privatis, contradicente parochi? — Satis provisum in superioribus.

XIV. An in dictis oratoriis privatis confraternitatum per confratres stalis horis recitari possint horæ canonicæ, cum cantu vel sine, absque alia licentia episcopi? — Affirmative, nisi aliter ordinarius statuat ex rationabili causa.

XV. An in dict. oratoriis privatis sit licita celebratio missæ orivata, assentiente ordinario loci et contradicente parochi? — Affirmative.

XVI. An capellani confraternitatum possint populo denuntiare festivitates et vigiliis occurrentes in hebdomada, absque licentia parochi? — Affirmative.

XVII. An parochus, invitis confratribus, docere possit doctrinam christianam in præd. ecclesiis et oratoriis publicis et privatis, a parochiali divisis et separatis? — Negative.

XVIII. An in sæped. ecclesiis publicis confraternitatum possint haberi publicæ conciones etiam per totum cursum Quadragesimæ vel Adventus, cum licentia ordinarii et absque licentia parochi? — Affirmative.

XIX. An in eisdem ecclesiis possit celebrari missa sive lecta, sive cantata, ante missam parochialem sive lectam, sive cantatam? — Negative, nisi aliter episcopus disponat.

XX. An ad parochum spectet facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis in sæped. ecclesiis et oratoriis publicis confraternitatum? — Affirmative, quando tumulandus est subjectus parochiæ, intra cujus fines est ecclesia vel oratorium.

XXI. An intra ambitum earundem ecclesiarum fieri possint processiones juxta cujusque confraternitatis institutum, absque interventu vel licentia parochi? — Affirmative.

XXII. An eadem processiones fieri possint extra ambitum dictarum ecclesiarum, absque licentia illorum parochorum, per quorum territorium transeunda est? — Negative, nisi adesset licentia episcopi.

XXIII. An in dictis processionibus capellani confraternitatum possint deferre stolam? — Negative extra propriam ecclesiam.

XXIV. An episcopo accedenti ad ecclesias publicas confraternitatum, quæ non sint regularium neque proprium rectorem beneficiatum habeant porrigendum sit aspersorium a parochi, in cujus territorio sunt sitæ dictæ ecclesie? — Negative.

XXV. An earundem ecclesiarum et confraternitatum rectores et capellanos possit parochus, cesante alio speciali ac legitimo titulo, et ex solo jure parochialitatis, compellere invitos ad assistendum functionibus ecclesie parochialis? — Negative.

XXVI. An in suprad. ecclesiis confraternitatum, neque parochialibus, neque regularibus, retineri possit Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sine speciali indulto Sedis apostolicæ? — Negative.

XXVII. Præsupposita facultate retinendi, an possit infra annum publice exponi sine licentia ordinarii? — Negative.

XXVIII. An possit parochus se ingerere in administratione oblationum vel elemosynarum in sæped. ecclesiis recollectarum, vel capsula pro illis recipiendis expositæ clavem retinere? — Negative.

XXIX. An in ecclesia parochiali confratres vel eorum capellani immiscere se valeant, invito parochi, in ejusdem ecclesie functionibus, sive parochialibus, sive non parochialibus? — Negative.

XXX. An confraternitates, sive sint erectæ in ecclesia parochiali, sive extra illam, possint pro libitu et juxta peculiaria uniuscujusque statuta, congregationes suas facere absque interventu vel licentia parochi? — Affirmative, dummodo non impediatur functiones et divina officia.

XXXI. An possint propria bona administrare ac de illis disponere, absque ulla dependentia a parochi? — Affirmative.

XXXII. Quando parochus eisdem congregationibus intersit de mandato ordinarii et tanquam ejus delegatus, an possit suffragium decisivum ferre? — Negative.

XXXIII. Et quatenus affirmative, an etiam suffragium duplex? — Negative.

Et ita salvis tamen conventionibus et pactis in erectione confraternitatum forsan factis, concordii inter partes initis et a S. Sede approbatis, indultis, constitutionibus synodalibus, ac provincialibus, consuetudinibus immemorabilibus vel saltem centenariis... die 10 decembris 1703. Et facta relatione Sanctissimo... Sanctitas Sua... non obstantibus quibuscumque aliis in contrarium facientibus servari mandavit, die 12 mensis januar. 1704. (*Giraldus, Exposit. jur. pontif. part. I, sect. 627.*)

Item audienda sunt responsa ad dubia proposita a RR. DD. episcopo Atorensi in Galliis, relata in fascio. 20 martii 1865, *Revue des sciences ecclési.*

I. An presbyter titularis cujusdam beneficii non amplius pendeat ab episcopo, utpote titularis, ex eo quod professio fidei Pii IV, quam legit die institutionis, promissionem obedientiæ Summo Pontifici tantum includat, nulla facta mentione obedientiæ episcopo. Responsum: Quelibet presbyterum, etiam titularem seu possessorem beneficii cum cura animarum, pendere a proprio episcopo tanquam sibi subditum, idque virtute hierarchiæ ecclesiasticæ divina institutione ordinatæ; juxta cap. iv, et can. 6 et 7, sess. conc. Trident. XXIII, et vi formalis promissionis obedientiæ ac reverentiæ in actu sacre ordinationis editæ.

II. An potestates ab episcopo concessæ vicariis et capellanis, quoad sacramentorum administrationem, sint nullæ aut saltem dubiæ, nisi veniant a parochi aut eas ratas habeat? — Negative in omnibus.

III. An possit episcopus cogere parochum ad assumendum sibi unum aut plures vicarios, prout id necessarium judicaverit? — Affirmative, ad tramites tamen conc. Trid. cap. iv, sess. XXI.

IV. An nominatio vicariorum, a fortiore capellanorum, prout res nunc se habent in Gallia et eorum stipendia componuntur, exclusive pertineat ad parochum? — De jure spectare ad parochum cum approbatione episcopi. Attentis vero peculiaribus circumstantiis, servandum esse usum in cæteris Galliarum diocesisibus obtinentem, usquedum aliter fuerit a S. Sede declaratum.

V. An invalidum sit matrimonium contractum coram presbytero ab episcopo specialiter deputato ob congruentem causam, v. g. quia ille est amicus aut propinquus alterius sponsorum, morose renuente parochi. — Esse validum.

VI. An liceat episcopo conferre sacramentum confirmationis in capella publica, nulla ratione habita parochi petentis quo jure id fiat? — Affirmative.

VII. An parochi liceat inquietare capellanos, imo et mulieres in communitate religiose viventes, ex eo quod illi impleant et næ recipiant ministerium ab eo demandatum, sine approbatione et contra voluntatem parochi? — Negative.

VIII. An audienda sit ab episcopo conquestio parochi de promiscuitate in petitione et administratione sacramentorum, quia confessiones audiuntur et sacra communio datur in capellis publicis, servata tamen communione paschali quæ fit a parochianis in ecclesia parochiali? — Negative.

IX. An in dictis capellis celebrare liceat unam aut alteram missam lectam, sive cantatam, de consensu episcopi, diebus dominicis et festis? — Affirmative.

X. An pro his missis convocationem facere liceat pulsatione campanæ, invito parochi et approbante episcopo? — Affirmative.

XI. An cogendi sunt ab episcopo parochiani ut peccata confiteantur parochi vel ejus vicariis, nullamque audiant missam, nullam faciant communionem, nisi in ecclesia parochiali? — Negative.

XII. An dies Natalis Domini, expositio 40 horarum, hebdomada sancta, sint tam stricte de juribus parochialibus ut nihil valeat statuere episcopus in favorem communitatum. — Negative in omnibus.

XIII. An jus habeat parochus curare de brevitate aut de solemnitate officiorum quæ fiunt ex ordinatione episcopi in capellis publicis. — Negative.

XIV. An diminutio, si quæ fit, laboris, etiam oblationum, de qua queritur parochus, ratione frequentationis capellarum publicarum, necessitatem imponat episcopo eas interdicens parochianis? — Negative.

XV. An liceat episcopo restituere in capella publica missam suppressam a parochi, quam fideles ab episcopo repetunt, utpote valde utilem pro adimpletione præcepti, quando urget, audiendi missam? — Affirmative.

XVI. An expediat abrogare usum jamdiu usurpatum, quo infantes expositi baptizantur in xenodochiis? — Negative, dummodo adsint in xenodochiis capellani ad id deputati.

XVII. An in communitatibus mulierum religionarum possit episcopus permittere capellano ministrare Viaticum et Extremam-Uctionem personis internis, quæ eum habent in vita confessorem et eum cupiunt habere solatorem in articulo mortis? Is mos ubique in Gallia viget. — De jure non posse, nisi prius declarata exemptione communitatis a jurisdictione parochi. Attentis vero peculiaribus circumstantiis, servandum esse usum in aliis Galliarum diocesisibus obtinentem, donec aliter a S. Sede fuerit statutum.

XVIII. An oblationes et elemosynæ quæ de more fiunt in capellis communitatum debeantur parochi? — Negative.

Cf. Adnotationem XX supra, Adnotationes XXXIX, XL, XLV et XLVI voluminis quarti.

ADNOTATIO XXII.

Lib. III. Decretal. Tit. XXXVIII, De jure patronatus, § 1, n. 16; pag. 114.

DE QUASI-POSSESSIONE IN MATERIA JURISPATRONATUS.

Doctrina auctoris nostri confirmatur pluribus decisionibus Rotæ in *Tirason*. 16 oct. 1592 et in *Pisana* 20 maii 1664, ubi inter cætera Domini dixerunt «sententiam de partibus, in ea causa latam, esse confirmandam; cum enim indubitatum sit hanc capellaniam esse de jure patronatus, et solum controvertatur pertinentia illius ad effectum de quo agitur, attenditur solum quasi-possessio, cap. *Consultationibus*, hoc titulo; et infra dixerunt non obstare quod quasi-possessio non debeat attendi post conc. Trid. nisi fuerit adhibita causæ cognitio, juxta decisionem S. congregationis; quia decisio procedit quando est controversia super libertate beneficii, secus quando agitur inter